

LIBER UNUS

D_1A v.1 Bella cano, fatique vices, regemque potentem
2 mutato qui sceptrum pedo Solymaemia gessit,
3 rex olim vatum, duo maxima munera caeli.
4 Multa prius tulit immota discrimina mente,
5 et Sauli et Satanae furiis imbellibus actus,
6 multa quoque et regno. Tam longa exercuit ira
7 victorem fortuna suum, nec pulsa quievit.
8 Ast illam virtus tandem indefessa domavit
9 et populos late fudit, gentesque rebelles
10 nequicquam numeris et magno milite saevas.
11 Hi bello, hic ipso bellorum numine fretus.
12 At tu, Jessaei qui sanguinis auctor et haeres,
13 Bethlehemiae intacta quondam de virgine natus,
14 qui ligno, clavis, hasta, omnipotentibus armis,
15 ipsam (sic visum est) potuisti occidere mortem,
16 ingentes referens per Tartara victa triumphos,
17 dum tremuit princeps Erebi metuitque videre
18 aeternum amissos divinae lucis honores,
19 qui nunc ipse sedes placidi leve pondus Olympi,
20 ad dextram patris, et gaudentia sidera calcas,
21 frontem ibi (quam cinxit merito suffusa rubore
22 spina ferox, carus de qua cruor undique fluxit,
23 ut pretiosa humilem decoraret gemma coronam)
24 frontem illam innocuae redimitus sidere flammae,
25 tu, precor o, sanctum dimitte in corda furorem,
26 da mihi Jessiden Jessidae carmine magno
27 et cantu celebrare pari. Tua flamma ministra,
28 Isacidum longis ductrix erroribus olim.
29 Dirigat audaces ignoto in limite gressus,
30 producatque sacrae non trita per avia famae.
31 En sanctos manibus puris ut sumeret ignes
32 Vestalem se Musa facit. Bene libera curis
33 libera deliciisque jocisque et amore profano
34 consecrat, ecce, tibi reliquos me Magdalis annos.
35 Ecce opus hoc solidis numerorum immane columnis
36 templum ingens statuo, varium et multa arte politum.
37 Ingredere, o numen, quo te plaudentibus alis
38 Musa vocat, sanctos Cheruborum imitata recessus.

39 Si facias, cedent illi Solomonia templa,
40 regis Idumaei cedent sat tempore longo
41 quae finxere sibi coluere idola Camenae,
42 sed tu me, verbum aeternum, tu voce vocasti,
43 et novus insolito percussus lumine Paulus,
44 prodeo Musarum immensos convertere mundos,
45 et caelum seris ignotum aperire poetis.
46 Ut juvat, o, purgare suis sacra flumina monstris !
47 Ut vili purgare alga, caenoque profundo,
48 et liquidi ingenuos fontes inducere veri !
49 Jam paene obductum est Saulo sub pectore vulnus.
50 Integra Jessidae per tot certamina virtus
51 lassatam magnis frangit successibus iram.
52 Assuetis superare timet concurrere Fatis,
53 et famam tantae sine viribus invidet illi
54 invidiae. Vidit pressam sub pondere palmam,
55 et jam paene suae redeuntem in viscera terrae
56 mox laetum caelo caput ostentare propinquo
57 ipso onere alatam, et sua brachia ferre sub auras.
58 Vidit pacatis Jordanem currere lymphis,
59 dum fovet amplexu ripas, atque oscula libat.
60 At si quis motos posito premit objice fluctus
61 et notum praecludit iter, mox colligit iras
62 ore tumens rapido, et contorquet vortice silvas.
63 Tum sonitu ingenti vocat ad nova proelia fluctus,
64 longus pone ruit furiosae exercitus undae.
65 Cum pecore ac natis montem petit inscius amens
66 pastor, et attonito decrescunt arva colono.
67 Hoc metuens Saulus premit alto corde dolorem,
68 et vultum induitur placidum, similemque Davidi.
69 Dat dextram, testemque Deum, amplexusque paternos,
70 nec violaturum se sensit pignora tanta.
71 Nequicquam : nam quid potuit, nescivit et ipse,
72 ac dominos intus gestavit victus acerbos.
73 Excipiunt plausu Abramidae nova foedera laeti,
74 tanta in Jessiden pietas indigna ferentem
75 multa diu, saevi reverentia tanta tyranni.
76 Exsultant homines, exsultant agmina caeli
77 sidera, sidereaque animae. Dulcissima pacis
78 nomina Jessidaeque illis, at turba barathri
79 neutrum amat. Infernos concordia nostra tumultus
80 prognerat, magnosque quies humana labores.
81 Subter ubi in matris secreta cubilia terrae
82 descendit solis virtus fecunda mariti,
83 fatalisque auri videt incunabula flava
84 (auri quod superis simul ac caput extulit oris,
85 perstringit mundum, nec vi nec luce minori),
86 subter ubi implumis nido jacet aura profundo,
87 et tener innocuo vagit cum murmure ventus,
88 subter ubi aeterna longe sub mole repositi
89 thesauri ingentes magnarum arcentur aquarum
90 (Oceanus maris ipsius, quo fluminis instar
91 fertur, et omnigenas inter confunditur undas),
92 nulla ubi sopitos fluctus exsuscitat aura,
93 nec dominae irritat placidos vis improba lunae.
94 Est locus immensum in spatium, immensumque profundum

95 porrectus, quam nox genuinusque obruit horror.
96 Illum indefessum nullo objice meta coercet,
97 nec loca se minus extendunt quam tempora poenae.
98 Non illum recreat dulcis tenuissima caeli
99 rima, nec Eois scintilla excussa quadrigis
100 (unica quae nomen potuisset ferre diei)
101 perstringit, solidasve valet terebrare tenebras.
102 Non hic gemmatis stillantia sidera guttis
103 impugnant saevae jus inviolabile noctis.
104 Lucifer hoc late tenet illaetabile regnum
105 inter vincla minax, inter tormenta superbus,
106 ipso, quem patitur, crudelior igne tyrannus.
107 Dux quondam aetherae praefulgentissimus aulae,
108 qualis ubi in curru procedens Hesperus aureo
109 militiam aeternam stellarumque agmina ducit.
110 Fulmine sed cecidit correptus, fulminis instar
111 ipse ruens, nec enim gemitum dedit ore minorem,
112 ut primum sensit medios absorptus in ignes.
113 At comites circum, conjurataeque catervae
114 (ingens turba) cadunt. Aer crepat undique adustus,
115 et densa vi flammaram praetexitur aether.
116 Ex illo aeternae solamina tristia poenae,
117 aeternae socios mortales reddere poenae.
118 Torti et carnifices ! Hominem temptamine primo
119 in se armant ipsum, magno et caelo aequa voluptas !
120 Quos cauta et felix virtus si evaserit hamos,
121 victricem bello tandem aggrediuntur aperto,
122 et male tentatis succedunt arma venenis.
123 Hac vi Jessiden (neque enim corrumpere sperat)
124 oppugnat furvus barathri noctisque tyrannus,
125 exacuitque animos Sauli invidiamque potentem.
126 Viderat egregio generosam in corpore formam,
127 virgineoque maritatum cum flore virilem
128 majestatem oris, miracula viderat alti
129 nobiliora animi, vastamque in pectore mentem,
130 viderat augusta perfusam aspergine frontem,
131 divinaeque novos spirantem lucis honores,
132 consideratque alto sub corde oracula sacra
133 imperium Judae quae concessere perenne,
134 venturusque Shilo stimulos subjecerat acres,
135 et nimium vigiles Erebi sufflaverat ignes.
136 Scit miser incassum tantis se opponere rebus,
137 nec validam fati perrumpere posse catenam,
138 vincula sed morsu tentat, dentesque fatigat,
139 et vinci certus gaudet tamen esse rebellis.
140 Sed jam conversa in melius violentia Sauli,
141 consiliumque dolosque et spes turbavit inanes.
142 Nam multum Saulo, quem longo noverat usu
143 fidit, et erubuit falli fraudum ipse magister.
144 Quid faciat ? Quo se rerum hoc in cardine verset ?
145 Ferrati frendet ter concusso ordine dentis,
146 ter quatit iratae rugosa volumina frontis,
147 ter fremit horrendum exululans, oculusque cruentus
148 commixtum ardenti jaculatur sanguine lumen.
149 Ferrea lux terret noctem, manesque perustos
150 ignotus trepidos habet et crudelior ignis,

151 et jam vociferans, "Nihil ergo possumus ? " inquit,
152 "Me, me ipsum infelix puer, et mea regna triumpho
153 ducet ovans ? Dum vos (pudet oh !) torpetis inertes,
154 innocui ludunt et adhuc per colla Cerastae ?
155 Nil Furiis dignum et populo memorabile nostro
156 quod timeat Deus, et quod vel stupeam ipse, paratis ?
157 Quae nova formido, aut peior formidine virtus
158 corda gelat, quondam (memini) fortissima corda ?
159 Perdidi ob hoc caelum ?
160 Pectora tum longae percellit verbere caudae,
161 iratus tantae quod non suffecerit irae.
162 Deinde sedet, vultuque horrendum cetera profert.
163 Stant Furiae juxta, et se lumine circumspectant,
164 Dum late loca vasta silent, saevaque quiete
165 tristis nativi duplicata horroris imago est.
166 Ipsi flammantes insano sulphure rivi
167 jam tacitis serpunt per litora conscia lymphis,
168 vincula nulla sonant, non angues sibila mittunt,
169 non audent inter tormenta gemiscere sontes.
170 Tandem prorepit dirae foedissima turbae
171 invidia. Impexis crinem serpentibus atrum
172 it crispata, cutis multum laxata pependit,
173 ossaque liquit iners, ossa aspera longo luctu.
174 Dipsas (monstrum atrox) latitat sub pectore anhelos,
175 nocte dieque bibens nigrum insaturata cruorem,
176 et ne tam crebro fontem consumeret haustu
177 nocte dieque suo compensat damna veneno.
178 Sanguine deformatam hominum, taboque fluentem
179 pallam humeris gerit, et dextra rotat alta flagellum.
180 Immanem laeva craterae sustinet orbem
181 spumantem felle atque absinthia taetra vomentem,
182 quo bibit assidue, et sese ebria facta flagellat.
183 Hoc jam torva modo se pro medio agmine sistit
184 invidia, o barathro Furiarum maxima toto
185 invidia ! O numquam, nisi cum se punit, amanda !
186 "Summe pater," clamat, "Stygii barathri et mihi numen,
187 se puer imbellis nostros meruisse timores
188 jactabit, magnoque Erebum miscere tumultu
189 his colubris, meque et te, nostro principe, salvus ?
190 Te minitante tremet perterrita fabrica mundi,
191 et legum errabit natura oblita suarum.
192 Te minitante dabunt rapidae responsa procellae
193 et timidum horrendo resonabit fulmine caelum.
194 Tunc et inauratos temere sol contrahet ignes,
195 exsilietque, diemque abducat limite noto.
196 Foedera dirumpet pontus, supera ardua tangens,
197 vicinasque undas flammularum elementa pavescent.
198 Ipse polus fixam sedem et loca jussa relinquet,
199 sphaerarumque hilarum cessabit lubricus orbis,
200 diffugiunt nitidi huc illuc picta agmina caeli,
201 ipse etiam Deus illorum.
202 Namque olim timuit certe cum sumpsimus arma,
203 nobilia arma, et quae meruerunt victa triumphum !
204 O laudanda dies ! O ingens gloria nostri !
205 O iterum talem liceat mihi cernere lucem,
206 ipse licet vincat, licet in nova Tartara trudat,

207 et pejora istis, possint si tali fingi.
208 His par concurret pastor, rudis et puer armis ?
209 Quid possunt tortae stridentia verbera fundae ?
210 Quem torvus longaque fame stimulatus et ira
211 non domuit leo, non infandus membra Goliah,
212 hunc mea vox perdet sola, et sub Tartara mittet
213 multa prius passum, et nequicquam numine fisum.
214 Quod si Jessiden tanta pietate foveret
215 (sed satis est longo notus mihi tempore) Saulus,
216 quanto nos odio premimus, quantoque furore
217 ante bis exactos superis ex ordine soles,
218 corde novum toto longe excutiemus amorem,
219 ipsa, et vos cari, fidissima turba, colubri.
220 Me suadente nefas fraterno sanguine fecit
221 Cainus, et aetatum dedit omina laeta sequentum.
222 Vidi toto ingens connixum corpore saxum
223 jactantem, fratris mortem et monumenta sepulti.
224 Quis potuit risus (equidem risi ipsa) tenere
225 cum sua sic primus nutriret rura colonus ?
226 Post eadem a tergo spirans furiale venenum,
227 divisum pepuli ad marmor Pharaona superbum,
228 currusque, clypeosque virum, ardentisque caballos,
229 me gelidam mortem suadente et frigida fata,
230 hauserunt avidi pestis. Mentem ipsa manumque
231 Dathano armavi, cum tella rebellia sumpsit,
232 cum magicum (cujus nomen detestor et ipsum)
233 deseruit pulchra pro libertate tyrannum.
234 Huc (vidistis enim) cava per penetralia longe
235 desiluit, vasto terrarum exhaustus hiatu,
236 proque rogo nostros descendit vivus in ignes.
237 Me suadente, moras quid cesso abrumpere inanes ?
238 Quid nova non agito, dum gesta antiqua recordor ?
239 Tam tibi, Jessides (videne ?) Hic tibi sibilat anguis !
240 Nil tua te pietas, nil te, puer, ipse juvabit
241 cui frustra inservis, Deus. O si te juvet, orbis
242 late omnis longa compostus pace senescant,
243 nec mores, vel Fata hominum nascantur iniqua.
244 Ipsa autem his merito dilectis exsul ab oris
245 contempta evadam in terris miserandaque virtus."
246 Dixerat, at simul ora premunt et lumina versant.
247 Mox fremitus currunt obscuraque murmura circum,
248 gaudentumque et mirantum. Nihil illa movetur,
249 sed fremit, et tantas sibi laudes invidet ipsi.
250 Exsilit ardenti solio rex Ditis acerbi
251 amplexusque petit. Subito cum mota furore
252 ter submissa genu rapida fugit ocior aura.
253 Murmura dant Furiae, dant sibila laeta colubri.
254 Nox erat, humanos et vasta silentia sensus
255 spargebantque brevi lethe, plumboque ligabant.
256 Ipsum etiam regni molem sub corde ferentem
257 jactantemque graves curas sopor altus habebat
258 Cissiden, sopor invidiam sed nullus habebat.
259 Illa per Isacidum magnas it saevior urbes,
260 utque videt structas ingenti marmore turres,
261 atque ebur, et fulvi discrimina clara metalli,
262 "Pergite jam," clamat, "propriis tumulata ruinis

263 haec ego tecta dabo, et sola lucentia flamma."
264 Substitit in cursu medio, ac frena remisit
265 pallida luna, novis sudavit floridus Hermon
266 roribus, ipse Sion trepidavit vertice toto.
267 Jordanes latebram in ripa quaesivit utraque
268 territus, et multa tandem caput abdidit alga.
269 Ecce domum ingreditur Sauli, quae tota tremiscit,
270 ipsaque fundamenta tremunt, tremunt excita tellus.
271 Hic veneranda senis sese convertit in ora
272 Benjamini, oculosque graves, vultumque severum,
273 brachiaque, et latos humeros, et fortia membra
274 assimilat, pendetque ingens pro pectore barba.
275 Qualis ubi steterat super atria celsa palati
276 (egregium sculptoris opus) de marmore factus
277 ad portam magni laetus vigilare nepotis,
278 hac adstans Saulo notae sub imagine formae,
279 formae verba sacrae non respondentia fundit.
280 "Surge age, rex brevis Abramidum. Sic nempe sepultus
281 omen alis fati ? Somnus tibi ferreus instat
282 atque aeterna quies. Si regem rite vocavi,
283 si nondum tua sceptrum gerit pastorculus ille.
284 Nondum ? Umquamne geret ? Vigila, et totum indue Saulum.
285 Nec tu, magne Deus, justis si qua est tibi cura
286 (quod dubito, meliusque irent mortalia vellem),
287 dedecus hoc Saulo atque mihi patiaris inustum,
288 Abramidisque tuis, sacraeque in saecula genti.
289 O Cananaea fames ! quid non me absumpseris ante
290 quam femur in genus exhausissem fertile tantum ?
291 Heu genus infelix nullaque in sorte beatum,
292 donatum magno in poenam atque opprobria sceptrum !
293 Coctile quid fugistis opus, Memphitica jussa,
294 invito Pharaone truci, auspiciisque sinisteris ?
295 Quid magicae (infandum) virgae mare paruit ipsum,
296 densatumque vias nova per divortia duxit ?
297 Quin, si me auditis, rubri per marmora ponti,
298 per nemorum errores, immanisque invia silvae,
299 argillam Aegypti lateresque requirite vestros.
300 Dedecus hoc quanto minus est pastore tyranno ?
301 Tunc potes domino contentus vivere servo ?
302 Concedent tua sceptrum lyrae ? Jam sceptrum supersunt
303 sola tibi, tituli et regni nomen inane.
304 Illum aliae magna laudant formidine gentes,
305 illum omnis Judaea colit. Meministine ovantem
306 (si quicquam in te, Saule, viri est, meminisse necesse est)
307 cum cantu rediisse domum, festisque choreis ?
308 Mille viros gladio Saulus confoderit, esto.
309 Quis dederit leto decies totidem, arduus audax,
310 plusquam agmen puer ? et vivit tamen ille, tuisque
311 perfruitur damnis. Illi tua regia servit,
312 quam non illa diu tua ? Jam diadema capessit,
313 conscenditque tuos thalamos, Saulique potentis
314 Jessidae dabit haeredem (pro dedecus !) uxor.
315 Hoc struit, hoc sperat Samuel. Talem tibi pestem
316 molitur, cum dicta Dei crudelia spargit
317 per populos passim, cum vana oracula mendax
318 quaeque optat fingit. Deus est, Deus illa minatus ?

319 Sic te tractasset rex divum hominumque Baalus ?
320 Aut tam aversa suis Astarte magna fuisset ?
321 Quid queritur ? Sacram te vi rapuisse coronam ?
322 At magnae processerunt justo ordine sortes,
323 neve aliter potuit (quid enim taceam ?) Ipse jubere.
324 Non umquam plus te sortive Deove fatebor
325 quam meritis debere tuis. Quid tempore ab illo
326 ipse Deus populusque Dei tibi debeat, ulli
327 haud reor obscurum. Tanta tu laude coronam
328 (o mi chare nepos, o magnae maxime gentis)
329 divinum tanto cumulasti munere munus,
330 nequicquam. Nam quae tantis data praemia factis ?
331 Te puer et vates furiosus et omnia vorsant,
332 contra te sanguis tuus et natura rebellat,
333 ac vanum infidi praefertur nomen amici
334 (o furor, o scelus infandum !) sceptroque patrique !
335 Qui causae indormis ? Quae manes suscitatur ipsos,
336 fixa sepulchrorum atque oculorum claustra resignat,
337 nec cineres puer ille sinit dormire sepultos,
338 sed negat aeternae jus indubitabile noctis.
339 Quid facis ? Aut talem quid non interficis hostem
340 qui turbat vitamque tuam mortemque tuorum ?
341 Aude, age, nil illo restat tibi triste remoto,
342 solus hic objectus (seu terrae ignobilis umbra
343 ausa laboranti quae solem avertere lunae)
344 ad te ventura, et tibi debita, munera caeli
345 occupat, ac sacri radios intercipit ignis,
346 defectum post hunc superant tibi candida fata,
347 formosique dies, et vitae lucidus ordo.
348 Natales nos, nate, tuos, regaliaque astra
349 conscriptamque notis fortunam vidimus aureis.
350 Nondum, o nondumne ardescit tibi pectus honesto
351 (ardescit certe) vindictae ac laudis amore ?
352 Magnum aliquod pariat. Memor esto tuique meique.
353 Jamque vale, feror ad caelum sedesque tuorum,
354 et luce et nutu magni revocatus Abrami."
355 Dixit, et ora viri flatu percussit iniquo.
356 Intrat letalis labefactas aura medullas,
357 olli vanescit dubii nubecula somni.
358 Huc illuc fert circum oculos. Tremunt inde repente
359 dum simulacra videt formis volitantia mixtis,
360 quae consuta male in vacuo timor aere pingit.
361 Stat crines, sudor profundit frigidus artus,
362 et toto ingentes decurrunt corpore guttae.
363 Jam pedibus terram, manibus jam pectora tundens
364 incipit, et "Verum est," oravit vera, "fuique
365 Israelitis adhuc, pietas me stulta fefellit.
366 Me puer et vates furiosus et omnia vorsant.
367 Sacrilega, heu, facta est patientia nostra, sepultos
368 heu violat cineres tumulosque recludit avitos.
369 Octingentorum minus est mors ipsa profunda
370 annorum, quam quo torpet mea vita veterno.
371 Indigno, tu sancte parens, ignosce nepoti,
372 quem propter placidas voluisti relinquere sedes,
373 mortalesque aegros, miserumque revisere mundum.
374 Sancte parens, tua justa libens mandata capescam,

375 et te vincam odio, et tandem me vivere nosces.
376 Nec frustra hunc tantum capies, magna umbra, laborem.
377 Non homines illum nobis, non sidera caeli,
378 non Deus eripiet.
379 Interea in placidas tu, dive, relabere sedes,
380 et repete antiquam pacata mente quietem
381 sub terras, ubi Jessiden mox affore tristem
382 laetus et effuso pallentem sanguine cernes.
383 Post lucem hanc nostros iterum si laedat ocellos,
384 a te, magne pater, perrumpere discat oportet
385 naturae leges et ferrea claustra sepulchri."
386 His dictis nutrit flammam stimulatque furores.
387 Jessides securus abest. Illum sopor udus
388 non jam rore levi, sed plena proluit urna,
389 dormiat et solidum accipiat per membra soporem,
390 qualem animus castus, qualem mens integra donat.
391 Quis metus est, vigilante Deo, dormire Davidem ?
392 Palantes nubes supra implicitosque labores
393 aetheris, atque volumen inextricabile caeli,
394 gaudia sphaerarum supra et modulamina certa
395 supra orbem, qui perpetuo bene pervigil igne
396 exiguis splendet gemmis, numerumque requirit.
397 Est locus immensa qui exhaustus luce fatiscit.
398 Hic polus excurrit longe et se pone relinquit,
399 ne proprias lassus valet ipse attingere metas.
400 Igne tumet blando, et tranquillo fulgure vibrat,
401 gloria nec tanto in spatio immoderata tenetur.
402 Non hic obscuri tremebunda crepuscula solis
403 nativum jubar inficiunt castumque serenum.
404 Non hic luna suis vestitur pallida furtis,
405 nec face languenti spargit per inane tenebras.
406 Non hic praecipiti tempus super orbe rotatur,
407 nec vaga partitur repetitis saecula gyris
408 vertigo. Nihil hic fuit, et nihil hic erit umquam,
409 sed constans, immotumque aeternumque sedet nunc.
410 Haec domus, hoc magni sanctum penetrabile Tonantis,
411 hic labor angusti, dulcis labor infiniti,
412 occupat atque implet caelum, sed limite caeli
413 contentus nullo, solus se continet ipse.
414 Quondam immane fuit vacuum. "Sint omnia," dixit,
415 ille simul dixit, parent simul omnia verbo.
416 Nam verbum fuit ipse suum. Turgescere coepit
417 fecundum nihil, et plena cuncta edidit alvo.
418 Quis vos, o Deus, aut quis vestra palatia pandet
419 tres une !
420 Hic te perfrueris toto, atque has maximus arces
421 plusque tuus colis. Interea non deseris orbem
422 quem fecisti olim nostrum, sed pondera vasta
423 exagitas nutu informans molemque sequacem.
424 Quod si vim tacitam auferres dextramque potentem
425 extemplo turbata fides ac foedera rerum,
426 ipse die rector fuis nullo ordine habenis
427 retro ageret currus, et mundo cardo coacti
428 cum sonitu rueret, laxis discurrere stellis,
429 et sine lege hominum confundere fata liceret.
430 Ipsa etiam rationis egens natura pararet

431 in nihilum properare suum. Nam spiritus aptum
432 tornatumque exercet opus, seque addit ubique.
433 Ni faciat, subito torperent cuncta, maloque
434 tota laborarent somno, aeternoque veterno.
435 Omnia nobiscum (qui nos) Deus efficit, orsis
436 non dedignatus socium se adungere nostris.
437 Stant circum aurati, turma officiosa, ministri,
438 atque Dei jussa exspectant, gaudentque juberi.
439 Hinc domini in vultu immenso sine fine bibentes
440 immortalem oculis lucem fixo ore tenentur.
441 Unum ex his nutu vocat ipse. Silentia servat
442 regia caelorum, et reverenter tota tremiscit.
443 "Ergone tam subito excidimus ? (sic inquit ab alto)
444 sceptrata videt, nec nos simul ? Imperioque potitus
445 ignorat per quem steterat ? Creditne procellas
446 irrita per pontum rapuisse ferocia verba
447 injustasque minas ? Surdine effecimus aures ?
448 Falleris, o demens. Audivimus omnia, Saule,
449 atque emptum optabis magno nil tale locutum.
450 Quae mala Jessidae intentas meliora merenti
451 cuncta tui in caput unius conversa ferentur.
452 Diximus. An dictis nostris gens terra repugnet ?
453 Ah imbelle lutum ! Non hoc tua lingua referret,
454 injussa in medio subsisteret icta palato,
455 si tibi nota dies fieret, quo tu ipse jacebis
456 Gilboacos multo deformans sanguine campos,
457 ipse miser, natiue tui, et capita illa superba
458 pendebunt templis monumenti infame profanis,
459 stultorum jocus, et ludibria saeva deorum.
460 Dexteram Jessidae immerito quae tanta minatur
461 justa aderit videx, et te, te occiderit ipsum,
462 quocum nunc iras atque implacabile bellum
463 nequicquam geris, ille tuo lucebit in auro,
464 dilectoque nimis cinget diademate frontem,
465 et quod tu solium fecisti infame piabit.
466 "Ergo age, Jessidae insani fer dicta tyranni.
467 Ipse nihil, sed enim timeat, properantior ipsam
468 arcessitus eat (nam rex arcesset) ad aulam.
469 Non ullum metuet, bene si nos noverit, hostem.
470 Incolumem (dixi) qui nunc jubeo ire, reducam."
471 Sic ait, inflectit sese polus ipse decenter,
472 nec non turba poli famulatrix. Ocius omnes
473 interrupta iterum exercent modulamina sphaerae,
474 angelicaeque simul renovat sacra orgia turmae.
475 At non qui missus Jessidae nuntius ibat.
476 Ille vehens pennis magnum per inane citatis,
477 nubila plus solito jam candescentia tranat,
478 quaque volat niveus signat vestigia limes.
479 Aligerum caeli sic vulnerat aera fulgur,
480 plurima sic primae currit strictura diei
481 (sic aut tarda magis), cum vix dum sole relicto
482 ecce simul terram ferit, atque resurgit in altum.
483 Vix ipsum rapidi tempus miracula motus
484 percipit attonitum, et mensuram non habet ullam
485 tam curtam, excelso sic praepes ab aethere lapsus
486 nuntius astatat Jessidae, ac talia fatur.

487 "Surge, bone, insanique exaudi dicta tyranni
488 aspera. Nempe tuo jam mane cruore litabit.
489 Ipse nihil, sed enim timeas. Properantior ipsam
490 arcessitus eas (nam rex arcesset) ad aulam.
491 Tutum (dixit enim) qui te jubet ire, reducet."
492 Exilit ille toris, et circum lumina versat
493 nequicquam. Nox undique et undique funditur aer.
494 Spesque metusque adsunt dubii, vicibusque recursant.
495 Quos vario exagitans convolvit pectore, donec
496 albescunt primo montana cacumina sole,
497 cum rex Jessiden arcessit saevus, ut aegram
498 (incautum specie si fallere posset honesta)
499 soletur fidibus mentem, curasque soporet.
500 Dic mihi, Musa, sacri quae tanta potentia versus ?
501 (Nam tibi scire datum, et versu memorare potenti,
502 cuncta vides, nec te poterit res tanta latere
503 in regno, regina, tuo) vim, diva, reclusam
504 carminis, et late penetralia ditia pande,
505 thesaurosque, et opes, et inenarrabile sceptrum.
506 Quae sprevere homines, tandem ut mirentur amentque,
507 divisque accedat reverentia justa poetis.
508 Ut sacri primum fecundo in pectore vatis
509 indigesta operis surgunt elementa futuri,
510 materies donec paulatim sumere formas
511 incipiat, jussoque incedant ordine verba,
512 ac bene dispositus leni fluat agmine versus.
513 Talis erat naturae olim nascentis imago,
514 sic magnum mundi divino ex ore poema
515 prodiit, artificisque informis massa supremam
516 imploravit opem, longo impatienter amore.
517 Indociles nondum subierunt foedere partes
518 fraterno commune jugum, bellumque sine arte
519 gesserunt discurrentes nullo ordine motus.
520 Aeterni ratio quos tandem musica verbi
521 discrevitque locis, et vincula dulcia victis
522 imposuit, numerosque pios, facilemque tenorem
523 elicuit. Medios aer atque unda sonores
524 concentu referunt muto, levis ignis acutos,
525 terra graves. Rapido lunam diverberat ictu,
526 at lentam Saturni operoso pollice chordam.
527 Sic celeres motus cum tardis intertexti
528 jam festum recti, curvi, longique, brevisque
529 exercent ludum, et docto discrimine plaudunt,
530 ut peccent magnae vestigia nulla choreae.
531 Haec est quae menti auditur symphonia dulcis,
532 ornatu cernendam alio sese exhibet auri,
533 dives opum, varioque superba scientia cultu.
534 Haec habitat vatum libris, haec carmine in isto
535 harmonia est. Non cantoris, non illa legentis
536 indiget, in charta multum facunda silenti.
537 Haec agilis magni percurrit corpora mundi,
538 haec parvi toto se miscet corpore mundi.
539 Totus homo harmonia est, omnes symmetria census
540 congerit hic, omnis naturae archiva tenentur.
541 Ipse chorum facit unus, et est Deus ipse choragus.
542 Hinc in nos nata est numerorum sancta potestas.

543 Nam simul ac portas humani corporis intrant
 544 inveniunt fratresque suos carosque sodales,
 545 et pariles numeros, et respondentia metris
 546 metra suis, jungunt dextras, redduntque salutem.
 547 Nec nos vi victos capiunt, belloque subactos,
 548 stant cives intus dilecti a partibus hostis,
 549 et sese dedunt sine prodicione volentes.
 550 Hoc rerum ingenio mira medicatus ab arte
 551 effusus sanguis distantia vulnera quaerit
 552 ignotum per iter, quamque accipit ipse salutem
 553 absentem gaudet gratus transmittere fonti.
 554 Haud aliter parili tentis conamine chordis
 555 fraterno haec trepidat, cum tangitur altera, motu,
 556 illa suo, haec solo naturae vivida pulsu.
 557 Sic lyra Jessidae, tam dulci callida furto
 558 aegra subintravit miseri praecordia regis,
 559 placavitque astus animi, saevoque tumultus.

PSALMUS

D_1B	v.1	Cum sacra saevis Isacidum manus	(+559 vers)
	2	exiret oris, terribilem procul	
	3	audivit, aspexitque gentem,	
	4	et refluxum trepidavit aequor.	
	5	Ut qui sequentes antevolans fuga	
	6	evasit hostes, stat procul arduo	
	7	de monte respectans, et omnes	
	8	aure sonos bibit inquieta.	
	9	Erexit undas sic mare turbidum	
	10	ut signa vidit praetereuntia,	
	11	fluctusque pendentes utrimque	
	12	ut scopuli steterunt acuti.	
	13	Crystallini non moenia limpida	
	14	mundi figura plus stabili manent	
	15	ex elaborato nitentum	
	16	marmore consolidata aquarum.	
	17	Non audet amnis ad mare progredi,	
	18	fontem revisit mentis inops suum.	
	19	Nato latebrosos recessus	
	20	fons aperit, gremiumque victo.	
	21	Circum tremiscunt culmina montium,	
	22	multusque collis montibus adsilit,	
	23	ut matris abscondunt sub alis	
	24	se teneri trepidantque pulli.	
	25	Gaudere viso fluctivagum mare,	
	26	gaudere flumen nobile, nec fuit	
	27	fugisse post montes fugaces	
	28	mobilibus pudor ullus undis.	
	29	Nobis nocebit nil fuga montium,	
	30	versi nocebit nil fuga fluminis.	
	31	I flumen, i formidolosum,	
	32	et pavidi proculi ite montes.	
	33	Aequare summis ima valet Deus.	
	34	Discent in altum plana tumescere,	
	35	vallesque turgescunt, ferentque	
	36	attonito capita alta caelo.	
	37	Fontemque flumen si repetis tuum,	

38 fontem refundet dura silix novum.
39 Nec saxa cessabunt, nec ipsae
40 flumina suppeditare rupes.

D_1C

v.1 Sic cecinit sanctus vates, digitosque volantes
2 innumeris per fila modis trepidantia movit,
3 intimaque elicuit medici miracula plectri.
4 Audivere sonum, et victi cessere furores.
5 At non invidiae Sauli de pectore cessit
6 indomitus serpens. Vocem nihil ille salubrem,
7 incantatoris nihil irrita carmina curat.
8 Fingit adhuc morbum, et spumas agit ore tyrannus,
9 et verum falso scelus excusare furore
10 (heu nimium ingratus tantae oblitusque salutis !)
11 Sperat, adhuc miser, et nequicquam mente recepta.
12 Jamque inopinatam sustollens fervidus hastam
13 (quam caram sibi pro sceptro gestare solebat),
14 dentibus infrendens, oculisque immane minatus,
15 pectora Jessidae crudeli destinat ictu,
16 dulcia dum sacrae renovat medicamina vocis,
17 nil meritus metuensve mali. Volat illa per auras
18 stridens, oppositoque dat irrita vulnera muro.
19 Namque polo lapsus miles caelestis ab alto
20 detorsitque manu, justoque errore fefellit.
21 O caecas hominum vires, frustraue superbas !
22 Arma sui dextram domini mandataque fallunt,
23 ni jubeat Deus infirmumque impellat acumen.
24 Vulneris ille tui jam felicissimus error,
25 tam bene Gilboacis non deluderis in arvis !
26 Inde tuam excipiet gentem, et fatalia sceptrum
27 Jessides, manesque tuos ea fama (sub imo
28 siquid res hominum mersos Acheronte movebunt)
29 semper morte nova et fecundo vulnere rodet.
30 Hinc Deus ipse tuas dedit illi evadere fauces
31 incolumem, hinc Parcas tam fila extrema legentes
32 instaurare opus, et telam producere jussit.
33 Ille fugam celerans vix duro elapsus ab hoste
34 sentit adhuc, sed et arma sequi, sed et agmina credit
35 a tergo, creditque hastam exaudire volentem.
36 Nec frustra : tantos causa urget honesta timores,
37 ipsaque formido illius divina futuri est.
38 Nam superaccensa est fato violentia regis,
39 et quae Jessiden non fixit lancea, Saulum
40 vulnerat haec ipsum. Salvo jam nescit honore
41 exuere insanam mentem, nec judicat esse
42 regis inexpletum crudumque relinquere crimen.
43 Ergo manum lectam juvenum quos ipse furentes
44 impulerat montis, scelerumque incoxerat usu,
45 vi, ferro, jubet incautum superare Davidem,
46 erroremque suum successu abolere nefasto.
47 Sic animo Saulus, contra Deus omnia volvit.
48 Interea Michole Jessides multa timentis,
49 multaue ploranti curisque decentibus aegrae
50 (namque oculis plus illa suis, plus lumine caeli
51 dilexit, non ipsa minus dilecta, maritum)
52 facta refert, et parva sui discrimina leti.

(+599 vers)

53 Forte super Micholes dotalia tecta, ubi et hortus
54 aethereus mira florebat pensilis arte,
55 parvum ubi multa nemus pandebat citrea malus,
56 quamque dedit lucem caeli vicinia, flavis
57 reddebat pomis, ut solis lumina stellae.
58 Lenti incedebant manibusque oculisque plicatis,
59 plurimaque alloquio lenibant tristia dulci,
60 cum Michole (visus nam plusquam aquilinus amantum est),
61 "Heu veniunt diri, veniunt," exterrita clamat,
62 "carnifices. Equitum video agmen, equosque frementes
63 audio. Claescent mediis in frontibus arma,
64 saevaque per densam transmittunt fulgura silvam.
65 Tolle gradum citus et propera, fuge quolibet," inquit,
66 "ne morere, o conjux. Fuge dictis ocus, adsunt.
67 Quid nos, quid vinclo junxit pater ipse jugali,
68 voce vocans in sacra Deum, veniamque precatus ?
69 Bis centum meruisse nihi praepudia credit ?
70 Ingratus ! Sudor, sanguis, bellique labores
71 dos tibi noster erant." Tum pleno uberrima fonte
72 discurrit, vocisque vicem pia lacrima servat.
73 Mox iterum : "Nihil efficiet. Per aperta fenestras
74 hinc te dimittam incolumem. Tu qua via caeca
75 arripe iter. Fuge, mi conjux. Non haec tibi dico
76 more meo, invisata est tua jam praesentia primum."
77 Ille refert contra : "O cunctis praestantior una
78 conjugibus !" Michole dicturum plurima molli
79 occupat amplexu, et raptim multa oscula turbat.
80 Dum lacrimas luctus ac gaudia miscet amoris.
81 "Parce," ait, "incassum pretiosa effundere verba.
82 Aspice quanta tuae tristis vicinia mortis."
83 Ergo alacer parat dictis. Haec callida lecto
84 Jessidae statuam mira factam arte reponit.
85 Jamque manus juvenum sese in penetralia fundit
86 dedignata moram sceleris, jamque ensibus ipsum,
87 illum ipsum, exposcunt, et verba haud mollia jactant.
88 At Michole laudanda parat mendacia contra,
89 docta piam fraudem, ac dives muliebribus armis.
90 Flet scinditque comas, et luctisono ululatu
91 tecta replet. Tum sic bene ficto pectore fatur.
92 "Quid facitis ? Quem vos prohibetis vivere, duri ?
93 Huic ipsam misero mortem et sua fata negatis ?
94 Quaeritis exitium Jessidae ? Parcite vobis,
95 nil opus est scelere. Ardentis vis improba morbi
96 jamdudum inservit patri, et vos esse nocentes
97 non sinit. Ecce illum jamdudum lingua oculique
98 deficient. Tantam frustra quid perditis iram ?
99 Nec mortem, nec vos, nec vestros sentiet enses.
100 Si vos innocui sitis urget tanta cruoris
101 (me miseram !), facite ut lubet et satiate furorem.
102 Non faciet brevis hora minus, nec tempore longo
103 restabo infelix." Tum lumina jussa decoro
104 imbre madent, mirosque oculis dolor afflat honores.
105 O quem non luctus dominaeque potentia formae
106 viribus admixtis frangent ? Turba impia discit
107 credere jam primum et miserescere ; linquere maestam
108 tristis et ipsa domum properat. Statua ipsa recumbit

109 fasciolisque voluta caput, stratoque sepulta
110 purpureo, atque refert morientis mortua vultum.
111 Lugentes famuli circum tacitique ministrant,
112 et medicinalis panduntur fercula pompae,
113 triste ornamentum mensae. Dat et arte locata
114 horrorem obscurum non clara lucerna cubili.
115 Scilicet ista favent fraudi. At super omnia numen
116 suffudit spectantium oculos caligine sacra.
117 O tandem nullo felix in crimine cessa
118 virtutem imbelli frustra tentare duello,
119 o manibus decepte tuis, oculisque tuorum !
120 Saulus ubi haec audit : "Quis talia crederet ?" inquit.
121 "Illum igitur bis quinque virum qui millia fudit,
122 illum animum segni tandem deponere leto ?
123 Nimirum Deus hunc fertur defendere sontem.
124 Sonsve insonsve fuat, defendat. Sit precor illi
125 tallis membrorum modus et concordia justa
126 qualis erat primis olim mortalibus ante
127 quam scelus, aut sceleris morbi dignissima merces
128 robora fregissent subito nativa veneno.
129 Nostrum immane odium est, totumque explere Davides
130 integer haud poterit. Quid se laudem addit in istam
131 adjutrix fortuna mihi ? Memorabile nil est
132 partita in poena. Pereuntem extinguere lucem
133 quid juvat ? Exhaustae quid faecem emittere vitae,
134 et poene attritum feriendo abrumpere filum ?
135 Usque adeone humilem mea vera et nobilis ira
136 se dabit ? Ah melius ! solemnis victima nobis
137 Jessidae vita est, et non nisi opima, litabit.
138 Nondum vindictae maturus, crescat in iram
139 pinguescatque meam. Tunc ipse libidine quanta
140 singultantem anima multum luctante videbo,
141 pugnantemque diu et producta morte cadentem ?
142 Quid loquor ? Aut quo nunc vindictam differo seram
143 cunctator ?
144 Forsitan et pietas stulta et clementia segnis
145 juratusque meo Samuel malus hostis honori,
146 quae mihi nunc fixa est, mutabunt denique mentem.
147 Adde quod et nostrae vindex Fortuna querelae
148 implicitum tenet, et fugiendi copia nulla est.
149 Hasta impune erret, jam saepe ferire licebit,
150 et geminare ictus, totumque haurire cruorem.
151 Si fato oppetere, et placita jam morte necesse est,
152 at videam extremos trepidanti pectore sensus
153 fundentem, atque oculos optato funere pascam.
154 Ergo agite huc, juvenes, Jessiden sistite nobis,
155 exspirantem animam licet, et suprema gementem."
156 Jam pulchrae apparent late vestigia fraudis.
157 At Michole irati jussa incusare mariti,
158 crudelesque minas, et vim praetendere facto.
159 Saulus ut haec, vix immodica se sustinet ira,
160 volventesque premit luctanti pectore curas,
161 amens, et rubris suffectus lumina flammis.
162 Sic olim Hyrcanae metuenda potentia silvae
163 indomitus leo, cui rabiem jejunia longa
164 addiderunt, siquem incautum procul ire juvenum

165 aspicit, ille jubam quassat, dapibusque futuris
166 accingit sese laetus, tum caeca viarum
167 speratam si forte tegunt erroribus escam,
168 deluduntque famem, torquet flammantia circum
169 lumina, et irato tellurem vulnerat ungue,
170 horrendumque fremens silvas rimatur opertas.
171 Nil opus est vento, trepidant formidine frondes,
172 speluncisque feras timor abdit et urget in ipsis.
173 Maestus ubique horror, nemorumque silentia vasta,
174 non audet turbata rugitum imitarier Echo.
175 In medio silvae immensae quae proxima Ramam
176 obtegit, illustratque verendi nominis umbra,
177 inclita sanctorum sita sunt collegia vatium,
178 sub magnis juvenum fervens ubi turba magistris,
179 ad sacros effusa pedes didicere silentes,
180 cordaque caelesti stiparunt cerea melle.
181 Succrescunt palmo veluti radicibus alta
182 germina, rore Dei et materno lacte repasta,
183 nunc parva, haud umbras olim factura minores.
184 Non tam mole sua quam fundatore superbit
185 grata domus, nollet Samuelis nomine marmor
186 aut mutare aurum, tantus decus addidit auctor.
187 Hanc pius exstruxit vates, modicosque et honestos
188 suffecit redditus, paupertatemque decoram.
189 Nec sese tantum dextrae tamen ille benignae
190 quam linguae debere putat, quae prodiga sacros
191 explicuit census, magnique aeraria caeli.
192 Doctores illic Samuel cunctosque prophetas
193 sub pedibus laetos vidit, nec gloria tanta
194 quod docuere alios, quam quod didicere sub illo.
195 Quadrata exiguis includitur area tectis.
196 Nam non illa artis fabricavit inepta libido,
197 sed naturae usus, quae gaudet maxima parvo.
198 Intus quadratae viridis stat porticus umbrae,
199 et densae solis propellunt spicula laurus,
200 securae caeli, rapidosque ad fulguris ictus
201 impavidae. In medioque argentea vena salubris
202 exsiliebat aquae, violatae carcere nullo
203 marmoris, aut tristi plangentis vincla susurro,
204 sed laetae tofo viridi, argutisque lapillis.
205 Non minus illa tamen corpus purgare, levare
206 apta sitim, aut sacros accedere pauper ad usus.
207 Hic sua cuique data est cella, et sua cuique supellex
208 (lautities veterum sanctorum et copia dives),
209 sponda brevis, scamnum, necnon ex abiete eodem
210 mensa tripes. Portam clausissent plura volenti
211 inferre ; antiqui pomoeria justa Necessi
212 servantes, pulchreque ausi contemnere vana.
213 Fallimur heu ! Nec magna opulentum aut plurima reddunt,
214 sed forma ac generi bene respondentia vitae.
215 Impedit atque onerat dominum numerosa supellex.
216 In parva congesta domo pone altera surgit
217 altior, atque usu cultuque augustior aedes.
218 Ad latus hic laevum se pandunt aula scholaeque.
219 Bibliotheca tenet dextrum et synagoga, precantum
220 numquam muta choro. Stat plurima fagina mensa

221 ornamentum aulae, non invidiosa, nec impar
222 pellibus instratis, quibus est circumdata, lectis.
223 Accumbunt primi capitisque comaeque verendae
224 doctores, socii in gremiis jacuere recepti.
225 At juvenes infra bene laeti rebus egenis
226 graminibus super aggestis, ulvaeque palustri
227 decumbunt. Lectos mensasque dapesque ministrat
228 terra ferax, et sole coquo convivia gaudent.
229 Bibliotheca fuit paucis decorata libellis,
230 non onerata malis. Nondum insatiata libido
231 scribendi (pestis jucunda) invaserat orbem,
232 nec medicina artes curandis mentibus aptae
233 in morbum fuerant ipsae scabiemque pudendam
234 conversae, quae nunc late contagia serpunt.
235 Scilicet hos importunos exclusit amantes
236 virgo Musa, novae gemmanti in flore juventae
237 spectari pavida, et vultum velata modestum.
238 Nunc fugit amplexus meretrix deperdita nullos,
239 garrula, vana, procax, cultu mendica superbo,
240 et populo compressa (nefas) parit horrida monstra.
241 Quis furor hic tanto frustra sudare labore
242 desidiam, miseroque insanae more Sibyllae
243 scribere, quo volitent vacuis ludibri ventis ?
244 Diversas illic artesque modosque videres,
245 queis brevis atque fugax verborum natio vitam
246 exiit aeriam, et firmum sibi vindicat aevum.
247 Tesserulis quaedam leviter commissa caducis,
248 ast alia in solido deposta fideliter aere,
249 palmarum haec foliis vano mandata labore
250 ni cognata oleum praeberet cedrus amicum.
251 Hic longa arboreis scribuntur carmina libris,
252 tam bene florenti non vixit in arbore cortex,
253 illic pictoris signata elementa videres,
254 hic textoris acu, doctaeque volumina vestis.
255 Illic ceratasque stilo perarante tabellas,
256 ast hic membranas tenues, biblonque palustrem,
257 tunc rudia, atque artis nova tentamenta futurae,
258 nec non et paries perfungitur ipse scholarum
259 munere librorum. Totus describitur orbis,
260 aequoreaeque viae, sparsaeque per aequora terrae,
261 aetheriaeque plagae, palantesque aethere stellae.
262 Adduntur sententiolae, monitusque verendi,
263 historiaeque breves, pars clara et aperta legenti,
264 at pars Niliacis animantum obscura figuris.
265 Hic sociatorum sacra constellatio vatium
266 (quos felix virtus evexit ad aethera, nubes
267 luxuriae supra, tempestatesque laborum)
268 dispersit late radios, tenebrasque fugavit,
269 doctrinae effundens lucem influxumque benignum.
270 Astrorum Nathanus viresque viasque latentes,
271 aureaque explicuit superi penetralia mundi.
272 Haud magico caelis deducens sidera versu
273 sol uti utrosque polos conversa luce salutat
274 gaudentes, sequiturque volubilis annus euntem.
275 Quam gravibus numeris argentea scaena superne
276 procedit, quantaque coercita lege vagatur

277 ipse quidem vates, sed enim nil debuit astris.
278 Contemnens rivos, et fonte repletus ab ipso,
279 materiam ingenti Mahol insectatur amore,
280 per gyros, per maeandros, per caeca viarum
281 venator. Fugit illa levis, premit ille fugacem,
282 oraue vertentem, et tentantem evadere furto.
283 At solidas signare notas in pulvere docto
284 Gaddus, et aeternas gaudet turbare figuras.
285 Necnon et longe numeros sine fine vagantes
286 producit patiens comes. Exsuperabile numquam
287 tentat adire jugum, punctoque ascendit ab uno.
288 Pyramidem inversam, et crescentem semper acervum,
289 defunctis victura struit monumenta Seraias,
290 condit aromatica prohibetque putrescere laude.
291 Et quos praeteriti vastum mare temporis annos
292 absorpsit, fundo petit urinator ab imo.
293 Quam celer occasus, tardumque fit incrementum
294 imperiis, et quae fabricat solertia Fatum
295 edocet. At Samuel divina oracula fidus
296 explicat interpretes, nec caecos more ferarum
297 sed laetos parere homines jubet, atque scientes.
298 Saepe etiam abreptus mentis violentibus alis
299 temporis ingreditur penetralia celsa futuri,
300 implumesque videt nidis caelestibus annos.
301 Hae reliquaeque artes hic excipiuntur amico
302 hospitio tantum. Poterat sed sancta poesis,
303 hoc nata atque educta loco, et regnare videri.
304 Non magis assiduo resonat domus aurea cantu
305 angelici caeli. Nullo non spirat ab ore
306 carmen, dulcisonumque chorum moderantur Asaphus
307 Hemanusque, ambo genio eccellente poetae,
308 voce pares liquida, digitisque loquacibus ambo.
309 Parte alia synagoga pio pulcherrima luxu
310 splendebat (nam sunt illic dispendia frugi).
311 Perstringunt oculos auro laquearia fulvo
312 spectantum, sed quos recreant aulaea vicissim
313 caeruleo sacroque colore. Illic prece forti
314 terque die soliti vim caelo inferre volenti,
315 terque die sanctum Mosis versare volumen,
316 terque piis totisque Deum resonantibus hymnis
317 exercent laetam stadio septempace vocem.
318 Talis erat quondam, tam celso Musa volatu
319 sprexit humum, generis memor, atque superba decenter.
320 Carmen erat Deus hunc mundum qua voce locutus.
321 Namque prius tenebrae diffundebantur inanes,
322 immensumque Nihil, Vacuique informis hiatus.
323 Plenus ubique sui, propria ipse palatia sedit
324 Omnipotens, sese contentus et omnia solus.
325 Ille autem totus bonitas, sapientia totus,
326 totus amor, voluit gratis producere cuncta.
327 Cuncta voluntati, nondum producta gerebant
328 artificii morem, et late capita alta ferebant.
329 Ante alia imperio citius sese extulit ingens
330 immane, indigestum Aliquid, sine lumine formae,
331 et sine honore jacens (monogramma exordia mundi !).
332 Festinasse illud scires, dum sancta capescit

333 jussa libens, rebusque aliis praecurrere gaudet.
334 Hoc tamen in gremio, et nil promittente recessu,
335 ditia cunctarum glomerantur semina rerum.
336 Emicat hinc subito lucenti vortice flamma,
337 ascenditque polum, et multo sese implicat orbe.
338 Olli se jungit comitem et vestigia tentat
339 fusus circum aer. Tellus onerosa gravisque
340 ad mundi medium nativo pondere se dat
341 mersa mari. Sed mox densae penetrabilia terrae
342 vasta aperit pater, et magnum descendere pontum
343 voce jubet, penitusque cavis habitare latebris.
344 At timidi contra non audent hiscere fluctus,
345 inque uterum terrae sine murmure delabuntur.
346 Convexa accendit caeli meliore metallo.
347 Jamque nova arcano prorumpit gloria fonte,
348 atque implet solem exundans. Hinc flumine vivo
349 lucis inexhaustae mundum se spargit in omnem
350 magnum, quo facta est numen studiosa referre.
351 Inde rudem lunae massam, simplexque polivit
352 voce opus, et radios aurato pectine compsit.
353 "Surge" ait "Et maestae regnum vigil accipe noctis."
354 Surrexit, traxitque sacrae vagasyrmata lucis.
355 Attollunt famulas hinc atque hinc sidera taedas,
356 et pulchram cingunt dominam, et comitantur euntem.
357 Turget humus fecunda, et pubescentibus herbis
358 miratur risumque suum, insolitosque colores.
359 Jamque iter aerium radunt impune volantes,
360 exsultantque alacres passim formidine nulla.
361 Nondum luxuries illis humana minata est,
362 nondum letalis modulamina rupit arundo.
363 Tum magnum tenui cecinerunt gutture numen
364 securae fraudum. Numen namque omnia laudant
365 fluctivagi pisces, mutum genus. Illius ipsi
366 munus erant, montesque maris, volventia cete,
367 quique suas parvo superant vix corpore arenas.
368 Inde ferae immissae silvis, caelestia jussa.
369 Quidnam ultra potuit, caeli terraeque catenam,
370 ipsum hominem potuit. Quo miscuit omnia in uno,
371 admirandum opus, et compendia ditia mundi.
372 Tum vero magni monitrix clementia patris
373 carmen erat, raraeque irae, fulmenque coactum,
374 impia cum sacras damnassent crimina terras,
375 unda ruens victrix magno sonituque ruinaque
376 omnia vasta dedit. Frondentia tecta volucrum
377 implicuere hilares frustra, nova retia pisces.
378 Naufragium passa est natura, os Phoebus ab alto
379 extulit, et solos percussit lumine fluctus.
380 Non tamen haec homines memori sub pectore condunt
381 insani, fervetque iterum furiosa libido,
382 cum subito ardescunt nubes, incendia caelo
383 taetra micant, totusque in poenam excandet Olympus.
384 Mox Sodomae tabescentes, liquefactaque tecta
385 corripuit rapidus flammanti sulphure nimbus.
386 Senserunt vivi membris crepitantibus ignem
387 qui nunc aeternum miseros post funera torret.
388 Longe alia implicuit pestis Pharaona superbum,

389 cum fluctus conjurati et commilite ventus
390 auxilium Abramidis tulerat. Pecus omne profundi
391 miratur, regumque sedent in cribus aureis
392 regum corporibus satiati. In gurgite toto
393 apparent semesi artus, natat unda cruore,
394 nec mare jam vano censetur nomine rubrum.
395 Plurimus ipse etiam in carmen veniebat Abramus,
396 cujus iter genti mansurum in saecula nomen
397 Hebraeae dedit, et Moses, Nunnique propago
398 bellipotens. Quantosque illi fregere tyrannos,
399 Sihonem, membrisque superbum ingentibus Oggum,
400 Zipporidenque Hohamunque trucem, fortemque Debirum,
401 quos dextra Isacidum divina potentia stravit.
402 Sic fragilis vitae fugientia tempora prendunt,
403 pacatisque animis caelum labuntur in ipsum.
404 Non illos aurum perstringit fulgure sacro
405 dulce malum, ignotum saeculis quibus aurea nomen.
406 Cujus nunc ergo sudore ad Tartara multo
407 heu non a miseris tantum effossoribus itur.
408 Quantum o stultorum turbam superabat avaram
409 dives opum contemptus, et ingens copia mentis !
410 Non illos bombyx pretioso sedulus ornat
411 funere, nec Tyrio deformant corpora fuco
412 gloria, nunc animis aeternoque empta dolore.
413 Aura illic visa est levis, et sine pondere nomen.
414 Accipit ingenuum fessos durumque cubile,
415 quodque bene extremi jubeat meminisse sepulchri.
416 In medium facilis per silvam quaeritur esca,
417 nec populant fluvios crudeli, aut aera ventre,
418 nec crudo hesternas accusant pectora cenas.
419 Conturbat numquam tali natura paratu,
420 et rerum usuram expendet, sed sorte relicta.
421 Haec bona mundities animi est. Rubigine nulla
422 inficitur vitii, nitidum sic sordibus aevum
423 deterget miseris, puroque incedit amictu.
424 Hinc Deus intrat agens sacro praecordia motu,
425 nec propriam caeli praesentior incolit aedem.
426 Hinc alacres justo funguntur munere sensus,
427 nec titubant revocantve gradum ratione magistra.
428 Hinc simulacra animo depingit mystica somnus
429 molliter in victos simul ac defluxit ocellos.
430 Transilit admisso praesentia tempora saltu,
431 aetatumque inter silvas et amoena vireta
432 ambulat, atque annos jam nunc exire parantes,
433 frenaque mordentes cernit. Micat undique fati
434 ordo ingens, valvaeque patent, longique recessus.
435 O fortunatos nimium et bona qui sua norunt !
436 O quam praecelso despectant culmine mundum,
437 et nubes rerum, et jactatum turbine Saulum !
438 Haec domus hospitio Jessiden laeta recepit
439 solantem curas, et densa pericula cantu.
440 At manus huc juvenum (quo non penetraverit irae
441 invidiaeque oculus ?) regisque suoque furore
442 saeva venit. Votis damnati immanibus omnes.
443 Segnis erat qui non pestem juraverat amens
444 Jessidae, membrumque aliquod promiserat ensi.

445 Sic absens totum partita est ira cadaver.
446 Jamque adsunt, subitoque afflantur corda sereno,
447 ignotum insinuat sese per pectora caelum.
448 Lascivit paulatim horror, vultusque recedit
449 fulgur atrox, et jam pacato sidere vernat.
450 Venarum casto gaudentes flumine rivi
451 lene micant. Signat divinus tempora candor.
452 Mira dies frontis, sacro quae fusa pudore
453 prima rubet. Ponit belli caedisque cupido,
454 dum numen pacis celebrant, et carmina fundunt
455 pacis opus. Bis jamque alios, bis lusus eisdem
456 miserat exemplis, ipsum jam plena tyrannum
457 ire jubet rabies laesamque ulciscier iram.
458 Cum melior subito furor implet mentem animumque
459 perque omnes sensus, perque intima pertinet ossa.
460 Tum chlamydem illusam gemmis auroque rigentem
461 exuit, et capitis deponit nobile pondus.
462 Ah ! Puduit regni decus atque insignia ferre
463 turpe jugum vitii, et servilia jura ferentem !
464 Tum primum rex Saulus erat. Lux una beatæ
465 instar habet vitæ, et longum praeponderat aevum.
466 Miratur populus, dictumque emanat ubique,
467 ipsum etiam vatam turbae se adjungere Saulum.
468 Balamus sic Beorides Moabitida venit
469 ut benedictam ageret diris et carmine gentem,
470 et pretio infelix fatalia venderet ora.
471 Sic secum : at didicit tandem (mirabile dictu)
472 ipso asino sapere ac fari meliora magistro.
473 "O magnum Isacidum decus ! O pulcherrima castra !
474 O arma ingentes olim paritura triumphos !
475 Non sic herbarum vario subridet amictu,
476 planities pictae vallis, montisve supini
477 clivus, perpetuis cedrorum versibus altus.
478 Non sic aestivo quondam nitet hortus in anno,
479 frondesque fructusque ferens, formosa secundum
480 flumina, mollis ubi viridisque supernatat umbra.
481 Quid video ? Mortem Isacidum super arma sedentem !
482 Laeta sedet, praedamque exspectat avara futuram.
483 Plures, Isacidae, gladios, plura arma parate.
484 Scilicet haec crebro victoria conteret usu.
485 Cum leo se attolit Judae, torvumque tuetur,
486 omnia diffugient pressis animalia longe
487 auribus, et medio si forte recumbit in antro,
488 murmura tum ponent silvae, metuendaque tigris
489 praetereuns ipso vel dormitante tremiscet.
490 Quae mala, quis Judae vel prospera fata precatur,
491 omnia in ipsius caput ingeminata feruntur."